

V 882

22
SAM. FRIDR. WILLENBERGII,

I. V. D.

PROF. IVRIS ET HISTORIARVM ATHENAEI
GEDANENSIS NEC NON INSPECTORIS

COMMENTATIO
DE
MATRIMONIO
CONSCIENTIAE,
GALLIS
MARIAGE
DE CONSCIENCE.



I E N A E,
APVD IOH. CHRISTOPH. CROEKERVUM,
1741.

SAM. FRIDR. WILLEBERGII

L. V. D.

PROF. IVRIS ET HISTORIAM ATHENARI
GEBANNENSIS NEC NON INSPECTORIS

COMMENTATIO

DE


MATRIMONIO

CONSCIENTIAE

CONTRA

MARIAGE

DE CONSCIENTIA



MDCCCLXXII





Q. D. B. V.

DE MATRIMONIO CONSCIENſTIAE.

§. I.



Charissimi, si cor nostrum non condemnat nos, ad eo per fiduciam habemus apud Deum, adeo per rationem se omnibus insinuant, ut sanæ mentis videri nequeat, qui velit aliter sentire & veritatem tam lucidam in dubium vocare. Quid enim homini agenti, consulenti vel meditati inter tot seculi præcipitia accidere potest salutaris, quam a conscientia sua, quam per cor nostrum Apostolus intelligit, & alibi quoque sub ista voce Scriptura Sacra indicat 2 Sam. XXIV, 10. 1. Cor. IV, 5. Rom. II, 15. Jerem. XVII, 1. ex proprio eius munere, quod est reum stantem pro tribunali condemnare vel absolvere, firmari, id, quod agit, aut in quo versatur, in rectitudine sua esse

Conscien-
tia rectae
magna ef-
ficacia.

A

esse *Act. II, 25. seqq.* quid delicatas mentes, quae a leuissimo contrariorum motu deprimuntur, magis eleuat, conseruatque infractas, quam si consciae sibi sint, placere ipsarum acta vel agenda illi, ad cuius voluntatem dirigenda erant? Hoc ipsum gentiles etiam agnouerunt, qui, etsi a vero Numine aberrarent, in recta tamen conscientia multum fiduciae posuerunt. Nam ita *CICERO Lib. 6. Epist. ad Familiares Ep. 4.* inquit: *Conscientiam rectae voluntatis maximum consolatum esse rerum incommodarum.* Et *SENECA Epistolar. lib. 1. Ep. 43. in f. Rem dicam, ex qua mores aestimes nostros.* *Vix quenuquam inuenies qui possit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, ut deprehendi sit, subito aspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt, quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert, neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem. vide infra §. 5.*

§. II.

Intellectus
& voluntas
duae in ho-
mine facul-
tates.

Rem hanc paulo diligentius intuentes deprehendunt, in homine duas facultates reperiri, *Intellectum & Voluntatem.* Ille circa obiectum seu res, quae animo repraesentantur, occupatus est, quas contemplatur, ac bonitatis & malitiae rationes, quae in utramque partem sese circa illas offerunt, expendit, ac quid, quomodo & quando agendum sit, iudicat, simulque de medijs ad finem accommodis deliberat. *Haec ad proposita obiecta sese mouet, & sponte ac libere eligit, quod sibi tanquam maxime congruum arripet, & contra ab illo sese auertit, quod sibi conuenire*

venire non videtur. PVFEND. *de Iure Nat. & Gent. lib. 1. cap. 3. & 4.* Ab intellectu vero dependet hominis conscientia, quae definitore AMESIO *de Conscientia* est Ab illo conscientia est quae non est, in hominis potestate.

cap. 1. est: *Iudicium hominis de semet ipso, prout subicitur iudicio Dei.* Vel iuxta BVDDEVUM *in Theol. Moral. P. 1. c. 1. Sect. 3. §. 2.* est: *Argumentatio hominis de actionibus suis ad Legem relatis, ut earum hinc aut prauitatem aut bonitatem colligat.* Illa vero solius hominis intra se iudicium est, nullo tertio interueniente, nec in potestate ipsius, sed, praemissis rebus, quas intellectus apprehendit, eius desuper iudicium etiam necessario sequitur.

§. III.

Duo vero sunt, quae conscientia alicuius praesupponit, 1. *Legum illarum notitia*, ad quas actiones hominum conformandae sunt, 2. *accurata factorum propriorum scientia*, de quorum bonitate ac malitia illa iudicat. Leges, quarum notitia pro norma conscientiae praesupponitur, vel *divinae* sunt, & mortalibus vel ex ratione, vel revelatione notae *ad Rom. II, 14. 15.* SANDERSON *de Oblig. Consc. Praelect. 4. §. 20.* quibus etiam *virtutes* iungendae, puta honestatis, amoris, pietatis etc. quandoquidem etiam ad has hominum actiones componendae; vel *humanae* sunt, ob Dei voluntatem, qui iussit his legibus obtemperare, *ad Rom. XIII, 1. 2. 1. Petr. II, 13. 15.* Factorum dum mentionem fecimus, per illa non tantum actiones externas intelligimus, sed internas etiam cogitationes, animique affectus, utpote quae omnia censurae conscientiae obnoxia sunt. Et conscientia non tantum facta diiudicat, sed & facienda. Ex quo

Et hinc alia quo duplici obiecto fit, quod alia conscientia *consequens* & alia *antecedens* dicatur. *Illa* omissa vel commissa approbat vel damnat, eiusque comes est tranquillitas vel inquietas animi, quod sacra pagina indicat, quando conscientiam sub nomine cogitationum explicat, sese invicem incusantium & excusantium. *Rom. II, 15.* *Hæc* antecedit illa, & dicitur quid bonum quidve malum, & ideo agendum vel omittendum sit, *PVFEND. d. cap. 3. § 4. BVDD. c. l. §. 7.*

§. IV.

In homine intellectu Fluit ex dictis I. vnumquemque hominem, intellectu præditum, habere quoque conscientiam, seu facultatem de actionibus suis iudicandi. Non enim intellectum sine operationibus suis concipere possumus, quæ aliæ esse nequeunt, quam censura & diiudicationes actionum propriarum, earumque approbatio vel reiectio. Idcirco sequitur, falsum esse quod dicitur: quosdam conscientiam non habere, licet velimus supponere hominem, cuius animus malitia induratus est, ut non moueatur, ne quidem in atrocissimis flagitiis. Nam a malo inueterato latere quidem aliquandiu potest potentia ratiocinandi de actionibus, cum tamen ea penitus extincta non sit, & operationes suas adhuc edere possit, homo nolens volens eas admittere tenetur, cui propterea absentia aut privatio conscientia tribui non potest. *BALDWIN. de Castib. Conscient. Lib. 1. cap. 1. n. 4. II.* Eum qui legibus prohibita agit, licet in animo teneat, peccatum non esse, quod agit, omnino tamen peccare & contra conscientiam agere. Quod enim diuinus Scriptor ait *ad Rom. XIV, 22.* *Beatus qui*

Quæ in prohibitis obligat, licet quæ agit pro peccatis non habeat.

non

non condemnat seipsum in eo, quod approbat, vt apparet ex antecedentibus, de rebus adiaphoricis intelligendum est. In his enim non peccat, qui, non condemnando se, talia facit, quia reuera nihil de numero prohibitorum agit; tunc tamen peccare potest, si per errorem pro vetitis talia habeat, & nihilominus agat, quia animum ostendit, legem migrandi, quam adesse existimat. Sed tamen se aliter res habet in iis, quae Deus in lege sua prohibuit. Contra haec agens omnino peccat, persuasione sua nihil in contrarium valente. Nam ista e numero peccatorum eximere nequit, quod peccatum est, nec mea conscientia normam dare ad quam acta probanda vel improbanda sint, sed ius Superioris eiusque voluntas. Exemplo suo hoc comprobatur Paulus, qui persuaserat sibi, nihil in vitio habere persecutionem suam Christianorum, & blasphemias suas in nomen & doctrinam Christi *1 Tim. 1, 13.* & credebatur, contra nomen illius Iesu multa facere ipsum oportere, ac in conscientia peccare, si talia omitteret. *Act. XXVI, 9.* Attamen quis Paulum non peccasse & contra conscientiam egisse diceret? qui ipse postea id agnovit & facti poenitentiam egit, quando fatetur, se ideo non dignum esse, vt Apostolus appelleretur *1 Cor. XV, 9.* Igitur conscientiae quidem haec virtus est, sed, quod possit inter peccata referre, quod peccatum non est; sed, quod reuera peccatum, efficere nequit, ne e numero peccatorum sit.

§. V.

Ceterum isti effectus pacis, fiduciae, solami-
nis & qui alii sunt, de quibus quaedam diximus su-
pra

Fructus re-
dae consci-

A 3

pra

entiae sunt pra § 1. in homine demum sequuntur, si conscientia ipsius *recta* fuerit, seu talis, quae liquido intelligitur, fiducia, solamen &c. git, persuasionem, quam super agendis vel omittendis tenet, certis & indubitatis principiis niti, seu cum legibus conuenire, quae norma actionum & conscientiae sunt. Haec est illa conscientia, quam Apostolus vocat puram 2. *Tim. I, 3.* inoffensam *Hebr. XIII, 18.* quae omnes aduersitates contemnit, & solum amore & reuerentia erga Deum se conseruat, de lege eius meditando interdum & nocte *Psaln I, 2.* quae proprias vias suas explorat & cum iudicio examinat. *Hebr. XIII, 18.* & si quas sordes contraxit per assiduum respiscientiam ac fidei renouationem expurgat. *Iob. III, 3.* Si quis sciens volens aliter, quam iudicium intellectus secundum legum & factorum cognitionem distat, faciat, contra rectam illam & bonam conscientiam agit, quae loco securitatis angores & cruciatus causatur, tamque vehemens toror ipsi est, vt, licet neminem mortalium in his terris timendum habeat, qui ipsum a facinoribus suis redargueret, illa tamen hoc faciat & praeludium quoddam futuri iudicii cum ipso instituat. *Hic consentimus*, inquit SENECA, *Ep. 97. male facinora conscientia flagellari & plurimum illi tormentosa esse, eo quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat.* Quapropter a tali passione Paulo dicitur mala conscientia *Hebr. X, 22.* eademque in vernacula ein böses Gewissen, ein nagender Wurm, ein Hencker, den man in seinem Busen heget. Ac fuit talis conscientiae Alexander M. qui postquam ira mente decessit, magnitudinem facinoris fera aestimatione perspexit, humi corpus prostravit, gemitu eiulatuque miserabili tota personante

gia,

gia, & coram corpore adhuc cruento lamentabili oratione animi sui angores contestatus est. CVRT. *lib. 8. cap. 2.* Item Carolus IX. Rex Galliae, quem, ut inquit THVAN. *lib. 57. Hist. ad Ann. 1574. p. m. 990. a etiam nocturni horrores post casum Sanbartolomaeum plerumque interrumpabant, & rursus adhibiti symphoniaci pueri expergefacto conciliabant.*

§. VI.

Non dubitamus vero, aliquem talis conscientiae coram Deo certum esse posse, cui falsum non subest, seu quae proba & recta est, quia faciens ad praescriptam normam, aut libertatem non ademptam, ab ipso Deo testimonium accipit, fecisse se, quod debebat, aut ex permissione facere poterat, qui hinc concludere potest: ergo ipsum imperterrito animo esse posse, quod acta sua Deo placeant, qui nec ab illis offensus sit, quem propterea timeret. Facit huc dictum Pauli *ad Rom. VIII, 15. 16. Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, ipse spiritus testatur, nos esse filios Dei.* De spiritu Dei hic agitur, qui testimonio suo in conscientia nostra certitudinem affert & diffidentiam abigit. Absonum igitur foret, quia spiritus Dei hic testis est, ipsius testimonium non certitudinis, sed tantum coniecturale esse. BECMAN. *in Linea Doctrinae moral. cap. 6. §. 13.*

§. VII.

Quoniam tamen non omnes sumus iisdem principiis seu normis imbuti, ad quas actiones nostrae componendae sunt, sed alius diversa ab aliis principis sequitur, ut in exemplo religionis & cultus

An aliquem
rectae con-
scientiae cor-
am Deo
certus esse
possit?

Dubia cir-
ca illam di-
versa appre-
hensione
Scripturae

& hinc di-
versis prin-
cipiis.

tus diuini, item doctrinae & scientiae moralis, etiam inter illos, qui eandem religionem profitentur, apparet, grauissimum dubium oboritur, ecqui recta conscientia possit esse in aliquo, cuius principia alius damnat, fugit, & se paria actitantem aut sentientem nunquam tuta conscientia esse posse fatetur, contrariisque rationibus demonstrat, sibi in agendis & fugiendis rectam esse, alterum in illis erroneam fovere conscientiam? & quidem ita iudicari posse, nemo negabit, qui considerabit, a diverso, qui in hominibus est, intellectu, non posse non diuersum de rebus, prout eas apprehendit, sequi iudicium, vt credat quoque sic sine peccato ad contrariam partem accedere non posse. Quibus non obstat, pro exploranda recta conscientia iustissimam normam esse rectam rationem & Sacram Scripturam, ad quas, velut infallibiles iudices, prouocandum. Nam, cum de mente earum nondum omnibus eadem sententia sedeat, sed alii hanc, alii illam esse perhibeant, alii latius alii strictius eam accipiant, quilibet autem suam de praeceptis agendorum & fugiendorum interpretationem rationi & verbo divino conuenientem esse praetendat, eamque, reiecta aliorum interpretatione, ceu falsa & erronea, aliis persuadere conetur, vt ut quidem recta ratio & SS. certa maneat cynosura explorandae & obfirmandae conscientiae, sensus tamen illarum, vt ab vno explicatus, non statim talis quoque aliis videtur, idemque nec pro conscientiae regula illis obrudi poterit, quem sequi tenerentur. Dedit enim Deus Scripturam, vt *quilibet ipse eam scrutetur*, & in ea viam salutis quaerat. *Act. XVII, n. seqq. Iob. IV, i. Iob. V, 39.*
Syracid.

Syracid. XIV, 22. 23. vid. IOH. FRID. CORVINVS *in Corpore doctrinae Lib. 1. cap. 36. & 37.* ideo nemo obligari potest, vt in rebus intellectualibus & religionis ab aliorum declaratione dependeat, & ita cogitet, agat, iudicet, vt sunt mentis illorum inclinationes. Si ad has possemus obligari, is qui contrarium ex SS. percepisset, contra agnitam veritatem, & reluctante conscientia credere, agere, illisque inuitus assentiri cogeretur, quo nihil dici viderique potest absurdius. Dicitur enim recta ratio, nihil esse contra conscientiam agendum, etsi vel maxime aliis erronea videatur. quia homini intra se non alia est sequendi regula, quam si migrare & aliam sequi teneretur, contra rectam rationem sentire, credere, agere cogeretur.

§. VIII.

Vt hoc dubium resoluatur, respondemus, quia *Responsio* Deus cor intuetur, & internos animi motus ponderat, si hi prohi fuerint, & hoc intendunt, vt veritatem explorata habeatur, ac vnicuique secundum eam agere possent, huic & illi conscientia recta tribuenda erit, nec permittendum, vt vnus libertas ab alterius conscientia iudicetur ac damnetur *ad Rom. XIV, 5. 6. 1. Cor. X, 29.* Quod exemplo belligerantium illustramus, quorum vtrique in aestimanda iustitiae causa tribui potest, quod recte conscientia quilibet id gerat. *ZIEGL. ad Grot. lib. 2. cap. 23. §. 13.* Homini enim, quae homo, necesse est, vt omnia intellectualia, quae ipsi vi intellectus sui competunt, libera relinquuntur, qui, quando sic sentit, & agit vt putat, se coram Deo ita sentire & agere posse, dicendus omnino

B erit,

erit, quod recta conscientia agat, adeo ut si aliter sentiret, quam verum quid esse intellectu deprehenderit, velut homo levis, cui conscientia sua in nullo pretio est, videatur ex intentione contra voluntatem Dei agere & peccare velle. Esto hominem illum in manifesto errore versari, qui veritati contrarius est, quando tamen culpa vacat, quod veritatem nondum apprehenderit, sed principia sua & praecepta adhuc pro veris reputat, a recta tamen conscientia sibi constabit, & tantum ab aliis in veritate perspicacioribus ob erroneam conscientiam postulabitur. Ad deponendum hunc errorem opus est, ut prius ille *informetur* & *principiis* eiusmodi *imbuatur*, quae intellectui suo conveniunt, quo credat, se hactenus in errore fuisse, & nunc ad rectam veritatem peruenisse, quo modo demum fiet, ut ad meam conscientiam ille quoque rectam habere incipiat.

§. IX.

Cuiuslibet relinquenda conscientiarum libertas in rebus intellectualibus & doctrinarum & religionis.

Dependet hinc aurea illa *conscientiarum libertas*, quae in rebus intellectualibus, veluti scientiis & doctrinis, ut & animae salutem respicientibus seu religionis, nulli *dominatio* Superiorum subiacet. Non enim credendum, hominem, qui aliquam intrat civitatem, se ita subicere Principi, ut omnem ratiocinandi facultatem, & curam pro animae suae salute suscipiendi a se abiectam, & nunc a nutu & solo arbitrio illius dependere velit. Quin nec talia ipsum abicere & in alterius arbitrium conferre posse certum est, quia Deus a singulis requirit, ut veritatem scrutentur, Deum agnoscaut, & omnia procurent, quae

quae ad cuiusvis aeternam salutem faciunt *Iob. V, 39. Colloss. I. 28. III, 16. Hebr. V, 12. 14.* non ut alter pro altero credat, cogitet, Deum respiciat & vereatur, hinc nec alter ab alterius arbitrio & decisione dependeat. Congruè proinde Valentinianus Imp. in *L. 9. C. Theodos. de Malef. & Mathemat.* iudicat, quando dicit: *Testes sunt leges a me in exordio imperii mei datae, quibus unicuique, quod animo imbibisset, colendi liberta potestas tributa est.* Et apud PUFENDORFIUM *lib. I. Rer. Suecic. §. 7.* proscripto a Caesare licet Luthero, qui eum tamen secuti, ab illis ita iudicatum fuisse legitur: *Iniquissimum & liberis hominibus intolerabile esse, vi metuque ipsos adigere velle, ut quae vera agnoscent, abnuant, quae falsa asserant, praecipue circa cultum Numinis, qui nisi ex liquida veritatis persuasione procedat, inanis sit. Etiam errantium poenam non aliam esse debere, quam doceri.* Plura pro conscientiarum libertate scripta vide apud SPENERVM in *Tr. Abdruck eines Christlichen Bedenkens über die Fragen u. §. 9. seqq.* GROTIUM *de Iure Summ. Imper. circa sacra cap. 6.* GERHARDVM NOODT *Ict. Batauum in Dissert. de Religione ab imperio iure Gent. libera.* BOEHMERVM in *Dissert. Praelim. Iur. Eccles. Protestant. ad libr. tertium Decretal. de iure circa libertat. consc. vbi §. 22.* plures huius libertatis aduocati relati.

§. X.

In tanta rei luce dolendum maxime, homines Improbata-
tamen reperiri, non tantum summum rerum arbi-
trium in his terris habentes, sed alios quoque in au-
toritate conspicuos, qui dominatum in aliorum
conscientias fumere, eorumque internos animi re-
cessus

doctissimi
Vitringae.

cessus diiudicare, ac ad opiniones suas trahere non verentur, nihil timentes, quod hoc ipso in Dei regalia inuolent, qui solus in conscientias hominum ius suum exercet vid. *Ezechiel. XXXIV, 4. 2. Cor. II, 2. GROT. c. l. p. 55. 85. seq. SANDERSON de Oblig. Consc. Prael. 3. §. 28. & Prael. 4. §. 9.* Vitium hoc est, quod ex merito suo perstringit doctissimus Vir CAMPEIUS VITRINGA in *Typo Theologiae Prael. s. de vita spiritali cap. 17. §. 7.* cuius verba digna iudico, ut huc referantur. Ita vero ille: *Estne enim quid magis intolerandum, quam deteriores, impuros & rerum spiritalium imperitos obtentu muneris sui sibi vindicare iudicium temerarium & iniquum in conscientias meliorum, sanctiorum & doctiorum; vel super hos id agere cum imperio, & re omnium sanctissima abuti in carnificinam conscientiarum? Si itaque id obtineri posset, curandum esset, ut hoc officium non dispensaretur aliis ac Viris probis, bonis, sinceris, modestis, aetate & peritia exercitatis, ab his characteribus communiter cognitis & probatis, qui Pastores dicuntur secundum cor domini, Populum eius scienter & prudenter ducturi, *Terem. III, 15.* Sed cum id difficulter impetretur, sufficiat nobis in genere obseruasse. Cauendum esse, ne qui se applicant ad iudicandum de interno animorum statu id agant cum imperio & magisterio paedagogico, tanquam se collocarent in ipso tribunali Dei, & sibi vindicarent ius & arbitrium in conscientias aliorum. Nonimus esse, qui hac parte grauiter peccent, a Deo lege suffusi & suffundendi pudore. Exerceri oportet hoc iudicium non tantum cum aequitate, veram etiam cum modestia summa, absque ulla significatione fastus paedagogici. Semper ante oculos habendum est dictum Apost. Pauli ad Rom. XIV, 4. Tu autem quis es, qui*

CONDEMNAS (negiuis) *alienum famulum* (s.)

(*ſc. κειμενος, αυτοκετατοςμος*) *proprio Domino ſtat aut cadit.* Adde quae hanc in rem habet FRIDERICVS SPANHEMIVS *in Epif. ad Amicum de Nouiff. in Belgio circa res ſacras diſſidiis p. 29. ſeqq.*

§. XI.

Quae pro afferenda libertate conſcientiarum In Actionibus tamen diximus, intelligenda ſunt de libertate *rationabili*, & commu- quam ipſa SS. fouet & commendat. Non perti- nem tran- nent haec *ad barbaram & effrenem libertatem*, quae in- quillitatem- quae in republica praeceptis viuendi aduerſatur & pro ſcopo- reſpicienti- habet, tranquillitatem & ciuica commercia, quae bus male in ciuium actionibus aeternis & exhibendis ſuperi- ad liberta- ori officiis, atque ab hoc viciffim recipiendis bene- tem conſci- ficis ac mutua incolumitate conſiſtunt, turbandi- entiae pro- Hic nemo audiendus, qui in defendendis hiſce pro- uocatur. uocat ad libertatem conſcientiae, ac conteſtatur, ita ipſum per conſcientiam agere oportere. Poſt- quam enim homines, relicto ſtatu naturali, ſe con- tulerunt in ciuitates, quilibet in actionibus, quae communem ciuitatis pacem concernunt, & vitae, faetae, corporis ac bonorum incolumitatem reſpi- ciunt, libero ſuo arbitrio ceſſit, & ſe arbitrio im- perantis commiſit, vt intentus finis ciuitatis conſti- tuta obtineri & cuilibet contra maleuolos ſecuri- tas praefſtari, & quies ſuis commode fruendi accu- rari poſſit. Sequitur ergo, perperam ſubditum in actionibus eiſmodi ad libertatem prouocare. Vnde in exemplis, quando ex religionis autoritate ſa- cra aduerſariorum turbata, male hoc factum a liber- tate conſcientiarum excuſatur. Quod Imperatori-

bus Honorio & Theodosio tantopere displicuit, vt ne quidem hunc Zelum probandum esse statuerint, quando Christiani Iudaeorum aut Paganorum sacra violarent, qui alias quiete viuerent, & nihil turbare tentarent *L. 6. C. de Pagan.* Raualliacum regicidii commissi innocentem non facit, quod exculpauerit sese, se salua conscientia aliter agere non potuisse, ne haereseos fautor Henricus Rex conseruaretur. *GRAMOND. Lib. i. Hist. Gall. p. 7. seq.* ZIEGL. *in Teatro Temp. p. 579.* Sic male quoque Anabaptistae 1535. ex dictante conscientia polygamiam in rempublicam reducere conati sunt. *SCHLEIDAN. de Strazu religion. lib. 10.* WIGAND. *de Anabaptist. p. 13.* In omnibus his actionibus conscientia nostra subiecta est praeceptis & iussibus Imperantium, quibus obtemperandum esse recta ratio & SS. dicitat. *BOEMER. d. 1. §. 19.*

§. XII.

Progressus
ad thesima
de matrimo-
nio
conscien-
tia. Vnde
nomen hoc
ei obueniat?

Ex his, de recta conscientia & eius libertate in genere praemissis, nunc ansam sumimus in specie despiciendi, qua conscientia subsistere, & quo iure valere possit matrimonium, quod *Conscientiae* appellant, & Gallis *Marriage de Conscience* vocatur? Nomen matrimonium hoc sumsisse vult *FELTMAN. Tr. de Impari matrim. P. 1. cap. 3. n. 424.* a conscientia seu scientia, quod praeter coniuges nemo eius scientiam habeat. Non male tamen istud etiam a conscientia seu iudicio intellectus deriuari potest, non *impellente* quidem, qua quis, vt describeretur, ad illud contrahendum impelleretur, sed *probante*, quod, si quis istud contrahere statuerit, salua conscientia inire,

inire, & id, si iam contraxit, eadem continuare possit. B. IOH. SAMVEL STRYK. *de Liberis Natural. Regum & Ppum. c. 1. n. 30. seq.* Alias omne matrimonium, quod iuxta leges est initum, Matrimonium conscientiae dici potest quatenus illi, qui id contraxit, conscientia sua testis est, quod id legitime contraxerit, & contrahens ea propter tranquillo animo esse possit. Nostrium vero matrimonium cum ob quasdam cessantes solennitates nihil in se habeat, quod conscientiam laedere, & coram Deo aliquem eius nomine reum agere possit, per excellentiam *Matrimonium Conscientiae* dici inuauit.

§. XIII.

Describi id potest, quod sit: CONIUGIUM ^{Quid sit?} OCCULTA CONIUGUM FIDE, DE QVA ALIIS NON CONSTAT, IN FINEM VERI CONIUGII CONTRACTVM, VT CONIUGES INDISSOLVBILI VINCVLO SIBI INVICEM COHABITENT, SED DE MUTVA FORTVNA NON AEQUALITER PARTICIPENT, NEQVE LIBERIS EX SE NATIS IVRA ALIORVM LIBERORVM PERMITTANT. Vel iuxta IOH. NICOLAVM HERTIVM *Vol. 2. Opusc. Tom. 3. Tr. de Matrim. instaurat. & conscient. Sect. 2. §. 1. est: Coniugium inaequale, quod clam & sine solennibus concubitus mutuaeque cohabitationis causa contractum, sola coniugum fide susinetur.*

§. XIV.

Hoc matrimonium inter illustres personas in Ab illustri Gallia, Germania & alibi vsitatum esse, a laudato bus, & pri-

HER-

uatis dici- HERTIO *c. l.* annotatum legitur. Et GERHARDVS
 tur injuri, FELTMANNVS *c. Tr. P. 1. cap. 1. n. 140. seq. p. 39.* ita de
 eo differit: *Alias Principes & Magnates eodem generosae
 indolis stimulo incitatos, quo sanguinem suum intraminatum,
 maculaeque omnis exsortem conseruet, hoc agere quadragesi-
 mo, ut cum nubendum omnino ipsis sit, nihilominus hant
 iusto connubio sibi socient plebeiam, si forte eam depereant:
 verum cum ea contrahere matrimonium, quod conscientiae
 vulgo audit. Quo videas delectari non modo illustres utri-
 usque sexus, sed & alios, quibus ius non est primorum ordi-
 num, istud anteferentes nuptiis publice palamque celebratis
 ob causas, quam plurimas, quas intellectu magis percipi-
 mus, quam ut elocutione omnes exprimi possint, quemadmo-
 dum in re aliena loquitur Vlpianus. Largius hic ac ille
 de personis, facultate ad illud matrimonium gau-
 dentibus, philosophatur, nam etiam personis mi-
 norum ordinum, quas priuatos dicimus, istud iure
 asserit, quod an possit, & quousque obtinere, post-
 quam prius causas ad hoc matrimonium mouentes lu-
 strauerimus, praesentis instituti nostri erit discutere.*

§. XV.

Regulariter
 matrimoni-
 um initurus
 omnia ad id
 pertinentia
 palam agit.

Regulariter matrimonium initurus hoc curat,
 vt omnia palam & iusto tempore fiant quae agit,
 quaeque intendit, nihilque sit subreptitii in illis aut
 clandestinitatis in petendo, adducendo ac copulan-
 do futuro coniuge, quo vitio alias iniustitiae macu-
 lam contracturus ac plane nullitatem incurfurus esset
 omnis actus ipsius. Post inuocationem diuinam pro-
 dirigendo animo in personam, qua cum matrimo-
 nium contrahendum, qui propius desiderat ad id
 accedere, cum parentibus suis, cognatis vel amicis
 com-

communicat confilia sua, ea vel ipse, vel per inter-
 pretem ad illam personam perfert, quam sponsam
 primum, deinde coniugem cupit, simulque ad eius
 parentes, tutores vel cognatos, vt, quid facto opus
 sit, deliberent, & mentionem facienti responde-
 ant. Consentiente in idem placidum vtraque parte,
 vt nota fiat eius voluntas, postea in praesentia pa-
 rentum, tutorum vel aliorum testium declaratur
 illa, & hoc modo coram illis personae desponsandae
 publica contrahunt sponsalia, quae sunt mentio &
 repromissio futurarum nuptiarum. ^{sup. dicitur} ^{ha. antequam} ^{beat.} Has quando
 deinde consummare volunt, iterum publice notum
 faciunt. Nam per diuinum praeconem ex sacro sug-
 gatu iteratis vicibus proclamantur personae, quae
 celebraturae sunt festiuitatem nuptialem, vt obie-
 cturi illis impedimentum in tempore accedant, &
 doceant, quare fieri nequeant coniuges. Nullo im-
 pedimento allegato, peragitur consummatio matri-
 monii, eaque iterum publice in coetu fidelium per
 sacerdotalem copulam, qua fit testatum, veros esse
 illos coniuges, adque iura coniugalia palam & pu-
 blica autoritate processisse, ac effectus legitimi ma-
 trimonii adeptos fuisse. vid. *cap. 1. X. de Clandest. de-*
sponsat. GONZALEZ. TELLEZ. ad c. LX. de Sponsal. &
matrim. n. 18. seqq.

S. XVI.

In matrimonio conscientiae omnia se aliter ha- Non autem
 bent, & nihil, quod agitur vel intenditur a contra- in matrimo-
 hentibus, propalatur, sed magis occultatur & sup- nio consci-
 primitur, quodque speciem coniugalis foederis, ha- entiae.
 bere potest alio inuestitur nomine, ne coram mun- do



do videantur coniuges esse, qui tales occulto pacto facti. Hinc initur sine publicis sponfalibus, sine proclamatione & benedictione sacerdotali, unoque actu mutuae conventionis sponfalia & ipsum matrimonium absoluuntur, suntque contrahentes istud contenti, quod priuata conscientia tenus sint coniuges, haecque illis dicitur, quod vt coniuges ad officia coniugalia eos viuere oporteat.

§. XVII.

Causae quae
mouent ad
illud.

Causae cur vir & foemina ad tale matrimonium inprimis notae, vt omne eorum matrimonium. Videtur tamen ad illud accedi, quod cum foemina petatur, quae honestae quidem, sed tamen plebeiae conditionis est. Inde vir splendidiorum natalium, eiusmodi fortis puellam ab elegantioribus moribus & forma sibi commendatam eligens vxorem, consultius sibi esse iudicat, sese cum ea innectendi ex conscientiae vinculo, quam solenni & publico connubio, ne suis natalibus officiat. Viro in peregrinis locis negotiãnti, qui non vult aut nequit ibi impetrare ius indigenatus, haec sua conditio causa esse potest, vt cum humilis fortis foemina contrahat matrimonium conscientiae. Ad hoc esse potest causa, si ob prohibentem legem Superioris quis contrahere nequeat solenne matrimonium, carnis tamen stimulis sine vxore mederi nesciat, fugiatque furtiuos amores. Si senex obstare sibi videat decorum cum iuuenula, quam amat, contrahere publicum matrimonium. Si extenuato patrimonio quis sumptibus non par sit, qui faciendi sunt in uxorem.

rem ex viri dignitate alendam, inque liberos susci-
piendos, & quae aliae possunt esse causae.

§. XVIII.

Ne viro vero a foemina vilioris conditionis Et conditio-
nes sub qui-
bus initur. quid ingrati metuendum sit, ad sequentes fere con-
ditiones cum ea redigit hoc matrimonium. Clan-
destino pacto se illi, & illam sibi obligat ad amo-
rem, ad concubitum & auxilium, quamdiu vt con-
iuges in hac vita superstites fuerint, sed sine menti-
one coniugii, sine bonorum aut dignitatis com-
municatione, vtque horum alter alterum publice
respiciat ea conditione, qua quisque est, & sic
vt foemina viro splendido parum exhibeat, reue-
rentiam, vir talis foeminam ex sua sorte aestimet
ac appellet, quae vel gubernatricis, oeconomae
aut consanguineae nomen gerit, & hoc siue in vna
domo siue in diuersis, soli vel inter alios habitent,
atque ita coram aliis videatur, ac si nulli illorum
connubii fides data. Quod si liberos sustulerint,
vt pater quidem illis clam alimenta suppeditet, non
tamen illos coram aliis pro suis agnoscat, nec edu-
cationi suae commissos habeat, sed matri educan-
dos relinquat, qui iuxta eam in triclinio accumbant.
Si eueniat alterutrum horum coniugum ex vita hac
decedere, ne superstes eum lugeat, curam funeris
habeat, aut alias iurium haeredum particeps fiat.

FELTMAN d. l. n. 143. seqq. p. 40. Haec & alia capi- Modi id
ta, in quae conuenerunt huiusmodi coniuges, vel confir-
iunctis dextris confirmantur, vel iurato, & datae mandi.
fidei implementum, cuiusvis conscientiae commit-
titur, vt nec instrumentis opus sit, quibus illa pro-
barentur.

barentur, aut ab illis recedens obligationis suae conuinceretur. Eum tamen in finem maxime opus videtur esse instrumentis, quando ex illis vel ipsi coniuges sibi aduersus poenas praesumpti stupri cauere volunt, vel liberis nascendis consulere, dum post mortem parentum debeat notum fieri, ex quibus parentibus & quo ex matrimonio illi nati fuerint.

§. XIX.

Non admit-
tendus ad il-
lud persona
sibi inui-
cem arcte
cognatae.

Quoniam vero de matrimonio hic agitur, quod approbante & non reformidante conscientia iniri dilud persona citur, necesse quoque est, ne in occasionem malorum trahatur, quae modo illo palliarentur. Fieret hoc, I. si cum persona consanguinea aut affine, quae lege diuina coniux fieri nequit, istud contraheretur. Cum enim cum tali persona diuinus Legislator matrimonium simpliciter prohibuerit, non posset non saucia conscientia agere, qui contra eius voluntatem personam cognatam aut affinem per conscientiae matrimonium sibi iungeret. Equidem non videtur necesse esse, ut hoc moneatur, quoniam matrimonii nostri subiectum personae sunt plane imparis conditionis, supra §. 17, inter consanguineos vero & affines tanta imparitas haut facile offenditur. Ast non dubitandum, talem etiam in his personis reperiri. Quid enim si ex rusticanis parentibus filius ad excellentem dignitatis gradum meritis suis peruenerit, cuius soror turgurio suo mancipata mansit, & quid si filius patre longe maior dignitate post mortem eius nouercam in infima sorte superstitem videat, has non nisi damnante conscientia occulto matrimonio sibi iuncturus esset. II. Fieret id quo-

quoque si ex mera libidine coniuges hoc matrimo- Nec in ea
nium eligerent, & ex studio vitandi sobolem cum vitanda so-
Onane spem hominis perderent. *Genes. XXXVIII, 9. 10.* bolis pro-
Athenis criminis huius se reum quoque Pisistratus creatio.
fecit, quem, ducta secundis nuptiis filia Megacis ini-
mici sui reconciliati, sobolem ex ea tollere noluisse
Herodotus scribit *in Cho.* Praeterquam vero, quod
Deo summopere displicuisse hoc facinus in Onane
Sacra pagina c. 4. doceat, constat quoque quod con-
tineat foedissimam rei sanctae, matrimonii κατὰ χρεῖαν
& deformationem. HUBER. *in Prael. ff. tit. ad L. Iul.*
de Adult. §. 13. & de Iure Civitat. lib. 3. Sect. 2. cap. 5. §. 41.

§. XX.

Hucusque de qualitate matrimonii conscientiae Num iurū
actum a nobis fuit. Nunc quoque iustitiam eius di- diuino M.C.
spiciamus, & quidem, vt par est, iuxta diuersitatem conueniat?
iurium, quorum alia diuina & alia humana sunt.
Ac quidem de illis primum, per quae ius naturale
& a Deo in SS. reuelatum intelligimus, agamus &
examinemus, vtrum his matrimonium nostrum
conueniat? Non leuia vero sese offerunt argumen- Argumenta
ta, quibus istud his iuribus esse contrarium ostendi- negantium.
tur I. dicitur, esse vagae libidinis specimen animum
suum ita submittere inaequali foeminae, vt capax
reddatur consequendi id, quod vir virtute & genere
praeditus nulli nisi pari sibi foeminae communica-
bile esse existimat, nempe animi & corporis con-
iunctionem sub indissolubili vitae vinculo II. Haut
quicquam congruere, vt genus humanum per con-
cubitus vagos ac lege solutos propagetur, vt uter-
que concumbentium vel alteruter intentionem eo
actu

actu prolem excitandi habeat. III. per tale matrimo-
 nium familias non aedificari, hisce vero nullis con-
 stitutis nec ciuitates intelligi, sed homines ad segre-
 gem vitam secedere, & omnem decorum ordinem
 e vita humana tollere. PVFEND. *de Iure Nat. & Gent.*
lib. 6. cap. 1. §. 5. IV. Officia parentum erga liberos
 hic turpiter negligi, cum liberos educari non suffi-
 ciat ad vitam naturalem, sed eos maxime ad vitam
 ciuilem educandos esse, vt aliquando ciuitati apti
 sint ad laborandum pro eius commodo, quam cu-
 ram mater non aequae ac pater instituire potest, qui
 dum hic celari vult, istud debitum naturale declinat
 & abiicit, & ita studio contra istud peccat. V. Diffi-
 dentiam erga Deum hoc matrimonium alere, quan-
 do intuitu dispersi aut dissipandi patrimonii contra-
 hitur, quasi bonorum omnium largitori remedia de-
 ficiant; nos cum aequali coniuge & natis ex illa
 in statu nostro conseruandi. VI. Illud inuentum
 turpitudinis velandae ac publico matrimonio opposi-
 tum viris probis dici. Ita VLRICVS HVBERVVS *de Iure*
Ciuitat. lib. 2. Sect. 1. cap. 3. n. 26. & in *Pract. ad ff. tit. de*
Concubin. §. 3. in f. iudicat, quando dicit: *Nam eius-*
modi clandestina coniunctio licet hoc animo vt indissolubilis sit,
tamen si absit titulus honorumque matrimonii coram Ecclesia ac
hominibus non videtur honestati nec scopo nuptiarum in libe-
ris, qui illegitimi nascuntur, satisfactum, etsi vulgo Mat-
riage de conscience, matrimonium conscientiae appelle-
tur. Et HILDEBRANDVS *de Nuptiis Vet. Christian.*
Marginal. Matrimonia conscientiae non dubitat scribere:
In his conscientiae matrimoniis saepe parum conscientiae, at
libidinis esse plurimum, adeo vt iam Tertulliani aeuo occul-
tae coniunctiones iuxta moechiam iudicari periclitarentur h. e.
parum a fornicatione abesse crederentur. § XXI.

§. XXI.

Sed his argumentis ab aliis opponuntur alia, Affirmanti-
 quibus iuri diuino non repugnare matrimonium um argu-
 nostrum euincitur. *Primum* dicitur, in hoc matri- mentum
 monio nihil, quod ordinatio diuina ad substantiam primum pe-
 veri & perfecti matrimonii requirit, deficere. Illud titum a sub-
 mutuo contrahentium consensu constare, a quo ani- stantialibus
 ma & essentia integralis omnis matrimonii depen- matrimo-
 det. *arg. Genes. XXIV, 7. L. 30. ff. de R. I. c. 2. C. 27. qu. 2.* nii, quae
 Ab illis iniri eo animo, vt vir habeat hanc foemi- nostro ad-
 nam coniugem, cum qua congregiatur affectu ma- sunt.
 ritati, ex ea liberos generet, illicque auxilio sit, pro-
 ut per conuentionem determinatum fuit; vicissim
 vt foemina viro illi tanquam vxor sit subiecta, eum
 vereatur & amet, nec alii quam soli illi vsum cor-
 poris sui impertiat. Praeterea illud matrimonium
 iniri sub fide indissolubilis vinculi, nec sine causa ab
 illis diuortium fieri. In his omnibus vero consistere
 substantiam veri matrimonii, nec praeter illa legem
 diuinam aliud quid ad illam requirere.

§. XXII.

Secundum pro matrimonio conscientiae adduci- Argumen-
 tur argumentum, quod aduocatio sacerdotis, per tum secun-
 cuius benedictionem matrimonium publice confir- dum, sacer-
 matur, hic autem omittitur, in diuina lege ad sub- dotalem be-
 stantiandum matrimonium non requiratur, sed ab nedictio-
 Ecclesia tantum introducta sit. SPENER. *in Const.* nem non ef-
Theol. Germ. P. 2. c. 4. Sect. 12. p. 566. seq. LYNCK. *de Ma-* se I. diuini.
trim. Lege Salica contr. t. 3. n. 30. seq. & nequidem apud
 omnes, qui cultui repurgato inter Christianos no-
 men

men dederunt, necessario obseruetur, hinc summum imperium habentes non obliget. BROUWER. *de Iure Connub. cap. 27. n. 5. & 23.* VINN. *ad §. 1. I. de PP. n. 1.* Ideoque ob defectum illius matrimonium clandestinum, si caeterum substantialia eius bene sese habent, non posse dici nullum. CYPRAEVS *de Matrim. cap. 3. §. 2.* CONRAD. MAVSERVS *de Nupt. p. 305.* Liberi ex KITZEL. *in Synopsi matrim. cap. 5. Theorem. 10. lit. e.* nec clandestino beros inde natos illegitimos, ceu in supremo Parisiensi Senatu pro liberis eorum, qui longo tempore matrimo- vt coniuges absque hac solemnitate Ecclesiastica vixerant, pronuntiatum refert CHARONDA *in Memorabil. verb. Enfans* & in Suecia quoque editi ex eiusmodi matrimonio iudicati legitimi vid. LOCCEN. *D. 3. Synopsi Iur. Suecic. qu. 1. in f.* De Germaniae autem Praxi quoad horum liberorum natiuitatem testantur, MEV. *P. 2. Dec. 81.* CARPZ. *P. 3. C. 14. def. 12.* BRVNEM. *Cent. 4. Dec. 47.* PETR. MVLLER. *de Hierolog. Sect. 1. §b. 9.* & alii quam plurimi, omnesque veteres, teste Palaeoto, pro legitimis natalibus eorum, qui nati ex duobus simul habitantibus, & se coniuges mutuo appellantis, responderunt *de Nothis & spur. cap. 19. n. 11.* Ex quibus recte concluditur: ergo matrimonium conscientiae, quia iuxta ius diuinum sua substantialia habet, ex illo etiam suum valorem obtinere, nec vitium secundum illud trahere dici posse.

§. XXIII.

Tertium argumentum a negata mariti &

Pro valore eius *Tertium* neſcitur argumentum: discrimen dignitatis & generum, & quod quaedam vxores in iustam matrisfamilias dignationem non adſciſcantur, nec earundem proli ius omne relinquatur,

tur, quod alias filiiſam. competit, tantum ex iure patris digni-
 poſitio eſſe, & pro arbitrio ſponſi per pactum ta-
 lia matrimonio adici poſſe, quae naturam huius
 non euertunt. Patere hoc oſtenditur, quia nulla
 dignitas hereditaria eſt, ſed meritis perſonae cohae-
 ret, quae perſonam merentem non egrediuntur.
 Vnde iure poſitio conſtituendum eſſe, vt ad he-
 redes tranſeat. COCCEL. de Poceſt. Stat. Imp. circa dignit.
 cap. 1. §. 20. ſeqq. Deinde quia, patre vili exiſtente,
 liberi ad matris dignitatem & titulum Principis pri-
 uilegio euehi poſſunt. MYLER. in Gamol. Princip. cap. 5.
 n. 35. CONAN. lib. 2. Iur. Ciu. cap. 11. & olim iam ſpe-
 ciali priuilegio Ilienſibus, Delphis & Ponticis iſta
 conſeſſa fuere L. 1. §. 2. ff. ad Municip. Vnde ob con-
 ſeruationem illuſtrium familiarum, aut in fauorem
 priorum liberorum, vel ob melius tolerandos ſum-
 tus, qui ex moribus ciuitatis in iuſtam vxorem fa-
 ciendi ſunt, de quibus videatur Melchior von Offens
 Teſtament P. 2. cap. 20. n. 11. virum neutiquam pec-
 care, ſi non permittat, vt in inferiorem foeminam
 & liberis eius non tranſferatur ſua dignitas, ſed ea ſub
 dictis conditionibus ſit ſibi vxor & illi liberi ſui, hoc
 que occultet, vt coram mundo ſit liber a contume-
 lia, nec ab alio accipiatur ſcandalum. Nam cum
 non omnibus datum ſit viuere ſine vxore, ſtolidus
 eſſet, qui vxorem duceret, cuius ſumtibus ad men-
 dicitatem ſit redigendus. PUFEND. cit. cap. 1. §. ult.

§. XXIV.

Euincitur Quarto matrimonium conſcientiae Quartum
 non minus pro licito poſſe haberi ac concubinatum, argumen-
 tum a con-
 qui olim in Eccleſia permittebatur. De hoc fide-
 D facit

cubinatus
olim in Ec-
clesia per-
misso.

facit Clemens Romanus, aut quicumque Auctor est
Constitutionum Apostolicarum l. 8. c. 23. verbis: *Ami-
ca cuiuspiam infidelis mancipium, quae cum eo tantum rem
habuerit, admittatur, sin vero cum alius quoque impudica
fuit, repellatur.* Nec non Canon Concilii Toletani I.
cuius verba: *Si quis habens uxorem fidelem concubinam
habeat, non communicet. Caeterum is, qui non habet uxo-
rem, & pro uxore concubinam habet, a communione non re-
pellatur, tamen, ut unius mulieris, aut uxoris, aut con-
cubinae (ut ei placuerit) sit coniunctione contentus, Argu-
mentum nostrum confirmatur verbis Augustini no-
tabilissimis de Bono coniugali cap. 5. quae translata in c. 6.
C. 32. qu. 2. sic se habent: Solet quaeri, cum masculus &
foemina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibi met
non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia concubitus
causa, copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera,
nec illa cum alter so id faciat, utrum nuptiae sint vocandae?
Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari concubium,
si usque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit: &
prolis generationem, quamuis non causa coniuncti sint, non
tamen vitauerint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam
opere aliquo male agant, ne nascantur.*

§. XXV.

Adducitur
quinto con-
sensus & au-
toritas viro-
rum docto-
rum,

Haec argumenta, quibus pro iustitia huius ma-
trimonii decertatur, nec Quinto calculo & autoritate
virorum doctorum destituuntur. Accipiendus pro
eo HUGO GROTIUS de Iure Bell. & Pac. lib. 2. cap. 5.
§. 15. verbis: *Sic etiam in Statu legis christianae verum
erit inter seruum & ancillam, aut liberum & seruam coniu-
gium, multoque magis inter cinem & peregrinam, Senato-
rem & libertam, si, quae iure diuino christiano sunt neces-
saria,*

saria, accedant, scilicet indissolubilis unius cum una consuetudo, etiam si effectus quidam legis non sequantur aut alioquin sponte secuturi lege impediuntur. Sepositis legibus positivis & abusu huius matrimonii AMESIVS de Conscient. lib. 5. cap. 36. qu. 2. matrimonium quod fit sine publica celebratione iustum pronuntiat, & in foro conscientiae ratum, quia omnia illa, quae ad essentiam matrimonii requiruntur, clare existere possunt. Eiusdem sententiae est B. SAM. STRYKIVS de Dissensu Sponsal. Sect. 5. §. ult. & in not. ad Lauterb. tit. de his qui sui vel al. iur. sunt verb. Putativis, ubi, postquam dixerat, ex positivis legibus benedictionem sacerdotalem huic matrimonio obstare, sic infert: per se autem peccatum non esse, clandestino connubio sibi foeminam despondere. Pluribus verbis pro eo militat B. filius ipsius IOH. SAM. STRYKIVS Dissert. de Natura matrim. §. 57. ubi inquit: Hoc vero (Matrimonium Conscientiae) an pro vero & iusto matrimonio haberi possit, quaeritur? Equidem, si caetera omnia recte se haberent verusque inter contrahentes consensus fuerit de individua vitae consuetudine, licet publice id pro matrimonio non declaratum & accedente copula sacerdotali non contractum, adhuc tamen pro vero & iusto matrimonio haberi posse existimo. Cum nec publicatio nuptiarum nec illa externa sollemnitas ad essentiam matrimonii pertineat. Modo tamen omnimodo caueatur, ut aliis nullum detur scandalum, iisque non innotescat, tales personas ut coniuges vivere. Supra laudatus HERTIVS Vol. 2. Opusc. Tom. 3. Tr. de Matrim. instaurat. & Conscient. Sect. 2. postquam intramque sententiam facientes rationes expendisset, tandem §. ult. in f. concludit: Caeterum ut matrimonium conscientiae in Imperio nostro valeat, non modo requiritur, id tantum inter duas cum voto & intentione perpetuae ac indivi-

duae consuetudinis iniri, nec liberorum natiuitatem in eo impediri, sed & illud contracturos vel superiorem non recognoscere, vel saltem superioritatis territorialis esse compotes, qui legibus Imperii & constitutionibus ecclesiasticis, concubinarum vetantibus, derogare possunt. Ita etiam FELTMANNVS de Impari matrimonio P. 1. c. 3. n. 425. seqq. Si fuerint Reges vel Principes, Comitesque Imperii, sacra reformata non desinet esse stabile, etiamsi quam maxime clandestine fuerit sancitum. - Quod si vero non summum rerum arbitrium Deus dederit us, quibus aet animus connubium eiusmodi subire, ex cuiusque loci iure civili res erit aestimanda. Nam si leges velint, ut non aliter firmari possint nuptiae, quam si trinae eas praecedant denuntiationes & peragantur coram ecclesia ritus, quibus mas & foemina iunguntur matrimonio, illud, quod conscientiae dicitur non erit nisi concubinatus, cui color frustra erit quaesitus, si ritus ii fuerint neglecti, nisi forte qui consecere nuptias rescripto Principis eorum vacationem adepti fuerint. Et 432. seq. Si vero iis viuamus moribus, ut spretis tribus illis denuntiationibus nuptiae hanc sint infirmae, etiam sine his valebunt: praesertim ubi ob conseruationem ordinis, utque frena inuiciantur vaganti licentiae, qui hac peccant aere mulctari solent. Quod autem ad ritus, quos Leo Imperator Hierologiam, attinet, ii ad robur & firmamentum matrimonii videntur nobis imperari, quanquam clam peragi queant, si nulla lex sanciat irritum illud fore, quando contrahitur ab iis, qui sacerdotem testesque spernunt, quo aliis hanc innotescat.

§. XXVI.

Probat
huc affir-
mantium
sententia &c

Atque haec argumenta tanti roboris esse deprehendimus, ut euincant id quod debent, veritatemque prae illis negantibus longe magis commendent

strent, quibus moti calculum nostrum adicere huic ^{respondetur}
 sententiae; matrimonium conscientiae iure diuino ^{ad primum}
 licitum esse, plane non dubitamus. Sed & ne dis- ^{dissentienti-}
 sentientes habeant, quod sententiae ipsorum patro- ^{um argu-}
 cinari posse videatur, operae pretium erit, vt quo- ^{mentum.}
 que argumenta illorum resoluamus & penitus remo-
 ueamus. *Primum* statim, quod vagae libidinis spe-
 cies sit, se humili foeminae submittere, quae in tho-
 rum cum indiuisibili vinculo, & quidem clam ad-
 sciscitur, nihil contra iustitiam huius matrimonii
 concludit. Ita enim vagae libidinis species dicenda
 quoque esset coniunctio Morganatica, quae tamen
 non tantum in usu est viris illustribus, sed & argu-
 mentis recte sentientium solide euiecta. Vaga libido
 illa dicitur, quae vadit & oberrat sine delectu in di-
 uersa subiecta. Id autem hic fieri, vbi vir certae
 foeminae sese obstringit, & sibi certam foeminam,
 & quidem ex foedere coniugali, falsissime dicitur.
 Longe sanctius & amplius quid est in hac fide con-
 iugali, quam in illa vagae libidinis consuetudine,
 quae viris promiscue conceditur, & accepta merce-
 dede meretricibus propria *PVFEND. cit. cap. 1. §. ult.*
 Falsum quoque virum dignitate & genere praedi-
 tum animum suum submittere foeminae inaequali.
 Eo equidem inclinatur in eam, sed foeminae tamen
 animum non submittit, quod illaeso iure mariti fi-
 eri posse, exemplo Regis Abasueri patet, qui Esthe-
 ram infimae sortis foeminam sibi vxorem constitu-
 ebat *Esther. II, 15. seqq.* Et cui ignotum, imparita-
 tem conditionis personarum coniungendarum de
 substantia matrimonii non esse *Nov. 78. cap. 3. Nov. 117.*
 c. 4. Consensus mutuus in indiuiduum vitae confor-
 tium



tium substantiale coniugii fundamentum est, quod stabile & firmum istud facit, reliqua ad fortunae accidentia pertinent, quae saluo matrimonio possunt adesse & abesse, quaeque arbitrio contrahentium subiacent, inter quae procul dubio sunt publicatio nuptiarum & participatio de dignitate mariti.

§. XXVII.

Responde-
tur ad argu-
mentum se-
cundum.

Remota obiectione: matrimonium conscientiae in speciem vagae libidinis incidere, *alterum etiam* argumentum: non conuenire generi humano, vt id per vagos concubitus propagetur, vim nullam probandi habet, quod istud matrimonium illicitum sit. Principium enim petit, quod hoc matrimonium sit eiusmodi vagus concubitus, & contrarium in praecedente §. iam iam euicimus. In hoc minus solenni matrimonio genus humanum aequae propagatur, ac in solenni, tantumque in impari effectum horum coniugum & liberorum eorum differentia existit, quae tamen non naturae coniugii, sed placito contrahentium debetur.

§. XXVIII.

Ad Tertium.

Non videtur *Tertio* probandum matrimonium nostrum, quod nihil faciat ad constituendas familias, sine quibus etiam ciuitates non constituuntur, inde homines ad segregem vitam peruenire, contra omnem in vita humana decorum ordinem. Verum nec hoc nobis obstat. Si enim per familiam, vt necesse hic est, intelligamus societatem e duabus aut tribus simplicibus societatibus, puta nuptiali, herili aut paterna compositam, vid. CLASEN. *Compend.*

pend. Polit. lib. c. 5. p. non quidem ambigendum, talem ex nostro matrimonio non constitui; negandum tamen eiusmodi familiam necessario ad ciuitatis constitutionem requiri, cum a Romulo constituta fuerit ciuitas, quae primum illis familiis caruit, & populus fuit virorum vnus aetatis. *Florus lib. 7. cap. 1. n. 9.* Negandum etiam per eiusmodi familias ciuitatem constitutam tantum conseruari, nam viuunt in ea monachi, alique coelibes, nec, quod sine familia sint, ab ea excluduntur, quasi nihil conferant ad conseruationem eius. Vnde dicendum, ob meliorem expeditionem negotiorum oeconomicorum, & finem constitutam ciuitatem conseruandi, per familias quidem melius consuli ciuitati constituendae & constitutae, quam per homines vitam segregem agentes, ciuitati tamen per hos nec iniuriam fieri. Igitur si *de iure* quaestio est, ex dicto argumento matrimonium nostrum haut iniustum dici poterit. Nam cum de iure permissum sit viuere sine familia, & ciuem esse sine ea, quis statueret, aliquem obligatum esse ad ineundum matrimonium ex hoc respectu, vt familiam habeat, quae publice nota sit. *Decoro* illud haut conceditur congruere non abnuimus, nam parum decenter contra agit, qui se non accommodat statui illorum, quorum esse praestantissimi esse putantur. *THOMAS. in Cautel. cir. M. C. ca Praecogn. Iurispr. c. 15 n. 22.* Inde Romanis in contrahendis matrimoniis decorum in tanta cura fuit, vt vxorem iniustam dicerent, quae non solenni ritu ducta esset *arg. L. 13. §. 1. ff. ad L. Int. de Adult.* *WILDVOGEL. in Disp. de eo quod iust. est, sed non decorum §. 100. vid. infra §. 44.*

Ad Quartum.

§. XXIX.

Quartum argumentum dissentientium est: in defectu certi patris liberos ad vitam civilem non educari, qua ciuitati prodesse, nam matrem, cui ex hoc matrimonio nati educandi committuntur, non aptam esse ad hanc educationem, patrem autem, se subducendo ab ea, peccare. Verum hic negamus, hos liberos ad vitam civilem penitus non educari. Quando pater, vt alia, hoc quoque cum matre secreto determinat, vt sumtibus suis liberi ipsius Praeceptorum educationi tradantur, & bonis praeceptis imbuantur, id praestat, quod facit ad educationem civilem, atque id satis est, quod ab ipso officii nomine natura postulat. Nam etsi mater minus apta videatur ad hanc educationem, tamen & ipse pater, qui talem se esse publice profitetur, non semper par illi existit, sed auxilio & ope indiget fidelium praeceptorum. In eo vero, si pater forte magnae dignitatis in orbe est, nec natos ex hoc matrimonio in ea conseruari velit, nec quicquam peccatur, quia satis est, quod liberi etiam in viliori statu ciuitati suae commodo esse possint. Egrege hoc exponit SENECA de Tranquill. animi cap. 3. p. m. 524. verbis: *Nec enim, inquit; is solus Reipublicae prodest, qui candidatos extrahit & tuetur reos, & de pace belloque censeat: sed qui inuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes pensat ac retrahit, & si nihil aliud, certe moratur, in privato publicum negotium agit. An ille plus praestat, qui inter peregrinos & ciues, aut urbanus Praetor praecipientibus assessoribus tria verba pronuntiat: quam qui docet, quid sit iustitia, quid pietas, quid sapientia, quid forti-*

fortitudo, quid Deorum intellectus; quantum bonum sit bona conscientia? -- Neque enim solus ille militat, qui in acie stat, & cornu dextrum lacuumque deserdit: sed & qui portas tuestur, & statione minus periculosa, non otiosa tamen, fungitur, vigiliisque seruat, & armamentario praees.

§. XXX.

De *Quin*o argumento: diffidentiam erga Deum Ad *Quin*-
in hoc matrimonio esse, quasi viro in dignitate con-
stituto & pauperi media non sit largiturus, quae re-
quiruntur ad se exhibendum in sua conditione, si
foeminam suae conditionis ducat, & cum ea publi-
ce viuat, cum de diffidentia, vt crimine cordis agat,
& soli Deo cognito, ita putamus iudicandam esse.
Cum matrimonium de rebus mediis sit, quae non
praeceptae nec prohibitae, sed permissae sunt, &
quoque de rebus hisce sit, vxorem & liberos ad ma-
riti & Patris fortunam admittere, si intentio con-
trahentis matrimonium conscientiae eo directa, vt
ad vitandos vagos concubitus, quos alias ob carnis
infirmiorem vitare non posset, habeat certam con-
iugem, illam tamen consentientem non vltra, quam
patitur fortunarum suarum ratio, vna cum liberis
nascendis sustentare statuatur, Deus quoque depre-
hendet, in corde suo nihil huiusmodi mali esse.
Hinc nihil quoque erit, quod timeat, Deo quid
displicere, sed potius ipsi hanc suam intentionem
placituram, eamque ipsum probaturum esse aduer-
tet. Confirmatur haec sententia dicto Pauli, qui
ad Rom. XIV, §. sic inquit: *Vnusquisque autem in cog-
nitione animae suae certus esto*, seu in conscientia sua in
rebus mediis, quas agit, certus sit, quod Deo non
E displi-

displiceant, hoc autem ubi est non erit, vt, quod peccet, timeat. *LVTHER. in Marginal. ad d. l.* Praeterea cum homini data sit ratio, vt expendat quid sibi profuturum sit, quippe bene viuere nihil aliud est, quam bene operari, ad bene autem operandum non solum requiratur quid fiat, sed praecipue quomodo fiat, *GABRIEL PALAEOI. de Bono Senectut. P. 2. p. 97. in f.* certe si maritus noster ad bene viuendum sibi hoc matrimonio consuluerit, & pensitauerit, Deum nemini immediate & sine cura propria viuendi remedia dare, pro vitio id ipsum erga eum haut exponi poterit. Alias etiam apanagium, vitalitium, fideicommissum ac primogenitura, omnesque alii modi, quibus quis sibi & suo generi prospicit, improbandi essent, quorum tamen iustitia satis omnibus nota est.

§. XXXI.

Respons. ad
Sextum ar-
gumentum.

Quod tandem *Sextum* & vltimum argumentum attinet, non tam ab autoritate dicentium: esse matrimonium conscientiae ad velandam turpitudinem excogitatum, inque illo plus esse libidinis at minus conscientiae, quam rationibus veritas eius aestimanda erit. Sed nullae harum apparent, quae istam turpitudinem euincerent. Magis elucet veritas contrariae sententiae ex antecedentibus, quibus fuit ostensum, ex fine indicato, quo contrahitur hoc matrimonium, optimo iure subsistere. Caeterum nec nostra sententia autoritate adstipulantium destituta est, si ex illa robur quoddam pro ea accersere liceat. vid. §. 25.

§. XXXII.

§. XXXII.

Et hisce vindicauimus etiam a dissentientium Quamuis
 obiectionibus sententiam hancce: Matrimonium vero non
 conscientiae *Iure Diuino* non improbari, sed eo istud *Iure diuino*
 contrahi posse ad effectum veri & legitimi matrimo- *uniuersali*
 nii. Verum cum ius hoc, ex quo id licitum est, *tamen lege*
 de iure permittente tantum fit, quod eousque va- *Ecclesiasti-*
 let, donec humana lege aliquid propius constitu- *ca M. C.*
 tum fit, iuxta illud *Perfii*: *prohib it*
est.

Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica notauit.

in Orbe vero Christiano primum a Seculo quarto
 receptum, deinde in sequentibus Seculis lege con-
 firmatum fuerit, non aliud censeri debere legitimum
 matrimonium, quam quod praecedente publica Sa-
 cerdotali benedictione declaratum fuit, vt in nuptiis
 clam factis peccata euitentur, tam in sponsis alio-
 rum, quam in propinquis & adulterinis coniugiis,
 quae illarum velamine tolerari & iusta effici possunt
 vid. SELDEN. *de Vxore Hebr. lib. 2. c. 28. & 29.* HIL-
 DEBRAND. *de Nupt. Christ. Marginal. Copul. Sacerdot. de*
essent. matrim. non esse & seq. REINHARD. *de Iure Princ.*
Germ. cumpr. Saxon. circa sacra ant. temp. reform. cap. 5. §. 3.
 statuendum iam erit, ex hoc iure nullum matrimo-
 nium conscientiae iustum dici posse, sed omne vi-
 tiosum ac nullum iudicari, nec coniuges tales esse
 legitimos, nec liberos ex illis legitime natos. PHI-
 LIPP. PASCHAL. *de Virib. Patr. Potest. P. 2. c. 4. n. 52.*
 Stat itaque moralitas huius matrimonii in duplici
 consideratione, vna, quod iure diuino illi nihil ob-
 stet, sed eo id ipsum contrahi permittatur, altera,
 quod

quod id tamen positua lege Ecclesiastica prohibeatur c. 1. C. 30. qu. 5. c. 4. C. 3. qu. 4. § c. 3. X. de *Clandest. desponsat.*

§. XXXIII.

Vfus docti-
nae consistit
in iusta co-
gnitione iu-
ris prohibi-
tiui, & fa-
cultatis di-
spensandi
super hoc
matrim.

At haec Lex tam euidens est hodie, vt ab omnibus pro Oecumenica & vniuersali norma in nuptiis contrahendis agnoscat, & nemo tantum in dubium vocare eam haectenus ausus fuerit. Inde explicandum iam venit, cui vsui debeant esse haec, quae fufius antea pro iustitia huius matrimonii ex Iure diuino disputauimus? Ista vero hunc vsu habent, quod a tumultuaria scientia iurium, quae vulgi est, abstrahant, & vt melius peritiores ista se distinguere norunt, ostendant, cui iuri origo interdicti huius tribui debeat. Deinde vt quis intelligat, vtrum in casu prohibito Superioris dispensationi locus esse possit. Etenim quae iure humano tantum, non vero diuino prohibita, Superioris dispositioni subiacent, qui potest ea ampliare & restringere, prout causae grauitas id vrget & postulat HENNING ARSENIUS *de Iure Maiesbat. lib. 2. c. 3.* GRASWINCKEL. *de Iure Maiesbat. c. 6.* Vnde in nostro casu *summus Princeps*, qui iura Ecclesiastica exercet, ad istam legem viuere non obligatus erit, sed, quando sufficientem causam habet, hoc ius ipsi erit, quod etiam possit matrimonium conscientiae contrahere. Etenim intelligit, se nihil contra voluntatem Dei agere, & ipsum supra Leges humanas positum esse, hinc a nemine eius matrimonii causa reum agi posse. De *prinatis & subditis* ita sentimus: licet ex voluntate diuina idem ipsis permissum, quod est permissum Principi,

Principi, attamen quia ad leges humanas adstricti sunt, ipsos secundum illas etiam vivere oportere, nec prouolare posse ad matrimonium nostrum. Quod si de facto id contraxerint, non tantum in foro externo eos legis transgressae reos fieri, sed & in foro conscientiae, cum in eo quoque leges humanae ab illis obseruandae sint, ob diuinum mandatum de obediendo Magistratui *Rom. XIII, 5.* Quoniam tamen Interdictum de matrimonio nostro humani tantum iuris est, & proinde dispensabile, fluit exinde, posse Superiorem etiam priuato ex iusta causa licentiam facere ad hoc matrimonium, si fieri id possit cum ea circumspectione, ne alii scandalum ex eo capiant.

§. XXXIV.

Confirmamus hoc Responso Facultatis Iuridicae Helmstädiensis ab An. 1630. d. 8. Octobr. in casu Luberti Edzarti Bremensis exhibito, quod legitur apud Hahnium *ad Wesenb. tit. de R. N. n. 5. verb. Benedicente nubentibus.* & PHILIPP. in *Vsu Pr. Inst. lib. 1. Eccl. 61. n. 12.* verbis sequentibus: Demnach haben Wir solches alles mit obligenden Fleiß verlesen und erwogen, und lassen nun die in gedachtem Responso eingeführte iura billig an ihrem Orte stehen und passiren; Können auch zwarthen, so viel die erste Frage betrifft, die angeedeutere zwischen des Herrn Bürgermeisters Evangelischen Sohns und der Wiennisttischen oder Wiedertäuferischen Tochter, ohne vorgehende Uffbitung und Priesterliche Copulation, eine Zeitlang gepflogene Beywohn- und Vermischung, für eine Un- und bey Christlichen Evangelischen Protestirenden Kirchen und Consistoriis

Quod confirmatur Responso Iuridicae Facultatis Helmstädiensis.

passirliche Ehe nicht achten noch halten. Alldieweil teodoch
 solche Anordnungen und Copulation der Ehegatten mül-
 ten ex ordinatione aliqua humana hinzugehan, und
 also nach Göttlichen Rechten die Eheliche Beywohnung
 auch ohne dieselbe beständig, dazu gegenwärtige Per-
 sonen nicht ohne Vorwissen der Obrigkeit sich zusam-
 men gehan, sondern sie bey Dero darumb vorher an-
 gesuchet, solches ihnen von derselbigen durch des Raths
 Secretarium in beyseyn zweyer oder dreyer Schöppen
 des Orts erlaubet, der Wiedertäuferischen Tochter El-
 tern die Beywohn- und Vermischung nicht wiederpro-
 hen, sondern dieselbe wissenschaftlich verstatet, item der
 Herr Bürgermeister darinnen, indem er selbstn umb
 dero continuation geschrieben, und sich nicht wenig an-
 gelegen seyn lassen, ex post facto deutlich genung erhel-
 let, dann ingleichen zwischen Gläubigen und Ungläu-
 bigen die Ehe abermahls in Göttlichen Rechten nicht ver-
 boten, ja wenn sie einmahlt vollzogen, dem Gläubigen
 Theil, aufferhalb Ehebruch, und wofern der Ungläu-
 bige ihn den Gläubigen nicht malitiose verläst, sich von
 dem Ungläubigen zu scheiden nicht vergönnet, die böß-
 liche Desertion aber gebührlichen beygebracht werden
 muß, und zu dero selbigen, deme bey Evangelischen Pro-
 tectirenden Consistoriis üblichen und christlichen wohlther-
 gebrachten Stylo nach, nach welchen der Gläubige in alle-
 wege zu leben schuldig, nicht ein geringes gehoret, darinnen
 es in gegenwärtigen passu, deme Uns gethanen Bericht
 nach, ermangeln thut: So kan und mag dem allen nach
 mehr erwehnte Beywohnung für Gott nicht an-
 ders, denn für eine beständige Ehe gehalten werden
 D. N. B.

§. XXXV.

Fundata hac thesi: etiam post vetantem le-
 gem humanam per dispensationem Superioris lici-
 tum fieri Matrimonium conscientiae, iam quaedam
 consuetudines perlustranda erunt, quae ex illa fluunt.
 Praemittere vero lubet illis casum & consilium a SPE-
 NERO consignatum in *Consil. Theolog. Germ P. 2. c. 4.*
Sec. 12. quod dare potest lucem adhuc deinde tractan-
 dis. Casus contingit in duabus Personis, quae per
 vicennium vixerant vt coniuges, nunc, a defectu
 hierologiae surgente in conscientia vxoris scrupulo, & consili-
 petitum consilium, quo illa tranquilla & quieta red-
 di posset. Praemittit ibi, vt nota & concessa, Spe-
 nerus I. Sacerdotalem benedictionem iure diuino
 non esse de essentia coniugii, nec simpliciter ne-
 cessariam, ac ex illo nec expressa litera nec idonea
 consequentia illam probari posse. II. eam tamen
 esse antiquum Christianorum ritum, per leges Con-
 fistoriales confirmatum, multaque commoda ha-
 bentem, nec abolendum, sed, vt obseruetur in
 conscientia, obligantem. III. duarum istarum per-
 sonarum verum & ratum esse matrimonium, sed
 ob hierologiae defectum illegitimum, easque hinc
 grauis peccati reas, IV. Illas ipsas nec a se inuicem
 diuertere, nec magistratum earum matrimonium
 pro nullo declarare posse. V. Superuenientiam be-
 nedictionis sacerdotalis in genere esse necessariam in
 infirmioribus, ne, ex defectu eius eorum conscien-
 tia angatur, animo autem obfirmatos ea carere posse,
 qui discrimen iurium intelligunt, ex quo illa requi-
 ri solet. Hic tamen in specie requisitam fuisse vt
 superueniret, I. quia personae fuerunt discriminis
 iurium

iurium ignarac, & per conscientiam iam contactae, quod crediderint, vitam earum impuram & libidinofam esse 2. ob liberos ab illis genitos, qui alias literas non impetraturi essent, sine quibus ad officia addiscenda legitimari non possent. 3. ob Ordinationem Ecclesiasticam, non quasi acta, ad quae peragenda sacerdotalis copula requirebatur, irrita redderet, nam multa mala emendari alio modo, quam superadditione eius, quod acta praecedere debebat, sed vt transgressor Ecclesiae insinuetur & apud eam reconcilietur. Quibus praemissis, post alia consultata, quomodo benedictio sacerdotalis superaddenda commodissime effectui dari possit, consilium suppeditat, vt suppressis personarum nominibus a Consistorio per quendam Sacerdotem, non aequae illarum confessionarium, benedictio sacerdotalis impetretur, & apud copulandas, indicta quadam illis multa, coram paucis & vel duobus candidis testibus peragatur.

§. XXXVI.

In quo casu a nostro differat?

In proposito casu diuersum a nostro reperitur, quod ibi personae sine praescitu superioris & eius dispensatione sibi inuicem vt coniuges cohabita-uerint; in nostro vero tales sint, quae ex dispensatione Principis clam viuere possunt vt coniuges. Hinc existimamus, neque quoad coniuges, neque quoad liberos legitimandos hoc casu opus esse, vt accedat sacerdotalis copula, quia loco eius est superioris approbatio. Nec minus ad literas natalium liberis dandas istam dispensationem sufficere, quippe illae effectus sunt causae probatae, qui proinde probatus

batus quoque videri debet. Excipiendus casus est, si scrupulo quodam conscientiae exagitentur coniuges, quod amplius salua conscientia se sine benedictione ista coniugium suum continuare nequire existiment, tunc ad eam placandam opus esset vt adhiberetur, quoniam scrupulosa quoque conscientia obligationem imponit.

§. XXXVII.

Quod autem modo dicto contractum est matrimonium conscientiae, sicut tertius, qui eius ex post facto adeptus est notitiam, id pro vero & legitimo matrimonio censere tenetur; Ita ipsis coniugibus isthoc hanc fiduciam parit, quod recta cum conscientia in eo viuant, nec a stupri crimine eam grauaauerint, aut ex eo apud alios maculam incurrere queant. FELTMAN. *de Impari matrim. lib 1. c. 3. n. 442. seqq.* IOH. SAM. STRYK. *de Liber. natural. Regum & Personae Princ. cap. 1. n. 30. & 31.* Idque matrimonium non adeo infrequens esse, apud nunc laudatos Auctores reperire licet. Nam Legatis extraneorum Principum hoc praecipuum iuris est, quod possint intra proprios lares clam habere connubia, licet eius loci iura, in quo expediunt publica, ea non admitterent, dummodo in ducenda vxore nihil praetermittant, quod suis legibus Princeps exigit, cuius ministri sunt. FELTMAN. *d. l. n. 436. seqq.* Ac suafit Lutherus hoc matrimonium Abbati cuidam illustri, non alieno ab Euangelica veritate, sed eo tempore nondum securo, vt si coniugii desiderio arderet, aliquam foeminam sibi cum occulta coniugii pactione

F iunge-

iungeret, donec Deus tempora mutaret SECKENDORF. *in Hist. Lub. lib. 2. Sect. 19. §. 54. p. 150.* Tempore belli vel persecutionis in personis, quae a publica sacerdotali copula pericula metuunt, idem videtur probandum. An quoque ille, cui propter adulterium & secutum diuortium coelibatus impositus, ad hoc admittendus sit, quaeri potest: & posse eum putamus, si sit talis, qui se a foemina continere nequit, cum isto mediante maiora mala praecaveantur, & poena hoc modo adhuc aliquid in eo operetur, quae erat, ne scandali causa ad publicum matrimonium procederet.

§. XXXVIII.

Officia et iura horum coniugum inter se.

Caeterum his coniugibus pacta conuenta leges sunt, quae normam dant illis viuendi, & quae placuerunt, officia sibi invicem exhibendi. Cumque publice videri nolint coniuges, a reuerentiae, honoris, amoris & aliis officiis coniugalibus erga se inuicem palam abstinent, nec mensae communi assident, apud alios quisque alterum ea, qua est in ciuitate aut re familiaris, conditione respicit. Morbo afflicto nec alter vt coniux succurrit, nec morte interueniente curam funeris subit, aut eum luget. Vide *supra §. 18.* Defuncto superstes non succedit in portionem statutariam, neque etiam instar concubinae vna cum naturalibus liberis sextantem iuxta *Auth. Licet C. de Naturab. liber. vxor nostra capit*, sed illam portionem accipit, quam maritus ipsi assignauit, de qua fides facienda iudici ex instrumento defuncto confecto *supra §. 18. in fine.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Quod attinet liberos, quos pater adhuc ante mortem pro suis, & matrem eorum pro sua coniuge declarat, vel quos ipsa mater post mortem patris ex eo prognatos esse iudicat, de eorum legitima natiuitate vel ideo non dubitandum; quia coniugium parentum, ex quo nati sunt, Principis auctoritate pro vero & legitimo declaratum fuit, adeo vt, si parentes eorum paulo ante obitum alterutrius sacerdotalem copulam adhibuerint, nec pro legitimitatis haberi debeant, quia sacerdotalis ritus hic adhibetur tantum, vt omne dubium tollatur, quod ex falsa causa ortum erat. FELTMANNI. d. l. n. 443. STRYCK. d. cap. 1. n. 33. seqq. Non tamen ad hereditariam portionem admittuntur illi, quam alii liberi legitime nati habent, sed tantum ad illam partem, quam pater in tabulis pactorum illis assignauerat FELTM. d. l. n. 439. seqq. STRYCK. c. l. si non mutauerit istam voluntatem, & vel reuocauerit pactum cum matre initum, vel per testamentum aliud disposuerit. Nec ex isto pacto iniuria fit liberis, quia necesse non est, vt ad omnem hereditatem aut ad legitimam admittantur, sed data congrua alimentorum portione, si causa adfit cur id fiat, contenti esse tenentur. Quod exemplo Abrahami euincitur, qui post mortem Saræ pro legitima vxore superinducebat Cethuram, cum qua multos liberos genuit, sed Isaac tamen ex Sara prognato cuncta, quae possidebat, dedit, Cethurae vero filiis munera tantum quaedam largitus est, eosque a filio Isaac sperauit ad plagam vsque orientalem. Genes. XXV, s. 6. V. MYLER. ab EHRENBACH. in Gamol. Princip. cap. 6. §. II.

F 231 M. 5167, §. XL.

§. XL.

An puniendus remoti-
one ab officio,
qui hoc matrim.
contraxit?
neg.

Ex eo tamen, quod, prout supra concessimus, hoc matrimonium contra commune decorum mi-
litet, cum non possit non indecens videri, quod
plurimi vitant in aliqua societate, minusque decere
existimant §. 28. *in f.* non possumus concludere, pu-
niendos esse hos coniuges ob hoc contractum ma-
trimonium, & in primis maritum, quasi suae digni-
tati hoc ipso quid fecerit in contrarium, ex quo
propterea nec amplius in officio suo videatur tole-
randus. Nam cum legibus matrimonium nostrum
conueniat, in eo nullum delictum erit, vbi vero
hoc non est, nec locus esse potest poenae *arg. L. 19.
§. 5. ff. de Public. & vestigal.* Quoniam etiam ab opi-
ficio non excluditur, qui suam sponfam praemature
concubitu impraegnavit, vt paucis post nuptias men-
sibus pariat, prout decisum exstat apud *MEV. P. 3.
Dec. 39.* quo iure ab officio remouendus esset, qui
iniuit verum matrimonium, & tantum non solenne,
idque cum venia Superioris? Quapropter nec hac
poena dignum iudicamus eum, qui absque ista ve-
nia vixit clam cum sua vxore, & postea ad iudicem
delatus confitetur, quod foeminam illam semper pro
vxore sua habuerit, velitque nunc superueniente sa-
cerdotali copula eam sibi confirmari. Nam etsi ob
transgressionem legis ecclesiasticae non plane impu-
nis habendus, tam graui tamen poena, remotione
scilicet ab officio, non statim afficiendus erit, quia
est ista infamiae quaedam species & remotio a fa-
cultate victum quaerendi, quae non minus grauis,
ac si homo enecetur *arg. L. 4. ff. de Agnosc. & aliend. li-
ber.* quod nimis rigorosum ac proinde iniustum esset
ex dicta causa. *MEV. c. 1.*

§. XLI.

§. XLI.

Ad cognata huius matrimonii nunc venientes referimus *primo* matrimonium, quod quidem sacerdotali benedictione consummatum, sed clandestina tantum, & quidem ad meliorem conscientiae securitatem, quam tamen coniuges inficiantur & sese coram aliis tales esse negant. Quæstio hic oritur: an Minister Ecclesiae Evangelicæ alicui, maxime diuersæ a se religionis, possit salua conscientia foeminam ad nostrum matrimonium per benedictionem Ecclesiasticam copulare? GERHARDVS *loc. de Coniug. §. 474.* & apud DEDEKEN. *Consil. Theol. Vol. 3. lib. 4. Sect. 1. n. 7.* distinguit inter virum alienæ religionis, qui spem facit transeundi ad Evangelicam veritatem, & inter eum, qui nullam eius spem facit, sed innutritus suis sacris tenaciter illis inhaeret. Illi hanc benedictionem fieri posse concedit, ne maneat in turpi concubinato, non vero huic, ne in contemptu Evangelicæ doctrinæ confirmetur, & sanctam Dei ordinationem, scilicet coniugium, apud suos praetextu foedi concubinitus prae grauet. Verum cum matrimonium nostrum procul a vago concubitu & illicito concubinato, ac omnino verum matrimonium sit, & tantum decoro destituatur, quod non palam secundum ordinarias solennitates contractum sit, in hoc vero non copulans sed copulandus impingat, non apparet, cur non indistincte Ecclesiae minister possit salua conscientia copulam suam sacerdotalem praeagere. Nec metuedum illam exinde profanari, quod benedicat personis a cultu suo alienis. Nam etiam inimicis ex doctrina Christi benedicendum. Et cum minister

An minister Ecclesiae Evangelicæ alicui a se diuersæ religionis ad occultum matrim. foeminam copulare possit?

Ecclesiae Augustanae confessionis baptizet infantes pontificiorum parentum, in quorum religione illi postea educandi sunt, quidni coniuges huius religionis copulare posset, quod minus est illo.

§. XLII.

Cognata
huius ma-
trimonii.

Referimus *secundo* ad haec cognata matrimonium, quod a duobus publice quidem & solenniter contractum, sed quod alibi celant illi, ne ex eius professione pericula vitae vel bonorum incurrant. Fecit hoc Abraham, qui, postquam secesserat in Aegyptum, Saram coniugem suam appellare volebat, sed nomen sororis ei dabat, ne sibi ab Aegyptiis, ob pulchritudinem vxoris suae, insidiae vitae pararentur. *Genes. XII, 10. 16. XX, 2.* Quod autem haec diffessio coniugalis nominis ipsi rei non officiat, perque conscientiam personae dicto modo coniuges esse possint, eius in contrarium nec lex nec ratio apparet.

§. XLIII.

Eius con-
traria.

Contraria huius matrimonii sunt omnes causae, ex quibus alias soluitur matrimonium, veluti mors, adulterium, malitiosa desertio &c. Cumque nostrum matrimonium constet Superioris approbatione & autoritate, consequens est, sine ea illud etiam priuato coniugum consensu dissolui non posse *arg. L. 35. ff. de R. I.* Hinc contra diuertentem ius habet laesus, quo conueniat eum ad reuertendum & matrimonium secum continuandum. De quo fere ex simili casu constat, qui 1672. ad Collegium Ictorum Ienensium perlatus, vbi quis desponsatus cum

cum sua sponfa ante sacerdotalem copulam concubuerat, per aliquot annos absque illa copula cum ea commoratus fuerat, liberosque ex ea genuerat, postea cum aliam sibi per sacerdotalem copulam iunxerat, quaestio haec in dicto Collegio tractata fuit, & ab eo pronuntiatum: redeundum esse ad primam uxorem, alteramque dimittendam, nam cum illa esse indissolubile matrimonium, & tantum non legitime contractum, secundum vero coram sacerdote contractum bigamicum, hinc nullum, & ne quidem licitum esse super eo transigere SCHIL-
TER. *in Praxi Iur. Rom. in Foro Germ. Exerc. 36. §. 61. seq.*

§. XLIV.

Matrimonio conscientiae omnino etiam con- Inter haec
trarium esse dicimus matrimonium ita dictum ad est matri-
Thalac; male ab aliquibus pro nostro matrimonio monium ad
acceptum, cum ut apparebit, intentione & fine ab Thalac.
eo plane differat. Nomen illi datum a corrupta Quid sit?
Graecorum lingua *Thalac*, cum Thalamum dicere
voluerint FELTMAN. *d. l. n. 449. seq.* voce *Thalami*
accepta pro lecto, in quo coniuges concumbunt
tam somni, quam sobolis procreandae causa WILD-
VOGEL *in Diss. de iure Thalami cap. praetm. tb. 4. seq.*
vel a *Thalacho* i. e. ad beneplacitum & ad tempus
contracto. CACCIALUPVS *ad L. Si qua illustris C. ad*
Sf. Orfic. n. 12. Turcis vocabulum *Thalach* libellum
diuortii significat, & matrimonium ad *Thalach*
Gallis aliisque exteris vocatur *Cubin*, quasi *Chiabin*,
concubinatus. *Chiabin* Turcice significat contra
dotem, dotalitium. BRUCKNER. *decis. matrim. cap. 13.*
num. 16. Describitur id matrimonium, quod sit *foe-*
du

duſ coniugii, cum certa quadam foemina initum, vi cuius vir vivit cum ea ut ſua uxore, quamdiu ipſi placuerit, poſtea vero eam dimittere poteſt. Ex hoc matrimonium hocce etiam arbitrarium dici ſolet, vel ad beneplacitum contractum SALMVTH. in Reſponſo Iuris pro matrim. Princ. cum virg. nobili p. m. 1ſt. in f. MYLER ab Ehrenbach d. §. 11. in f. SONNEMAN. ad Nov. 18. c. 5. n. 9. ſeqq.

§. XLV.

Mahume-
 danis & Eth-
 nicis viſita-
 tum.

Hoc matrimonium Gentibus Orientis in uſu eſſe, ex itinerariis aliſque autoribus cognoscere licet. De Saracenis AMMIANVSM ARCELLINVS refert. lib. 14. *Rer. geſtar. c. 4.* *Vxores eſſe illis merdenarias, con- ductas ad tempus ex pacto. Atque ut ſit ſpecies matrimonii dotis nomine futuram coniugem baſtam & tabernaculum offerre marito, poſt ſtatum diem, ſi id eligerit, diſceſſuram.* Perſarum matrimonia deſcribit TAVERNIER in der *Reiſe-Berſchreibung* lib. 5. *cap. 18.* verbis: *Krafft des Mahometers Verordnung dürfen ſeine Glaubens-Ge- noſſen nur vier eheliche Weiber Arkha genant, haben; Aber andere Nieth-Frauen, oder Amoutha, können ſie ihnen beylegen, ſo viel ſie ernähren mögen, und nur wie langes ihnen beliebet, welches alles vor dem darzu beſtellten Richter abgehandelt wird = = Wenn der Zer- min eines gemietheten Weibes verſtrichen, fertigt ſie der Mann ab, wo ſie ihm nicht mehr gefällt, und muß ſich vierzig Tage lang enthalten, umb zu erfahren, ob ſie nicht beſaamet ſey. De illis quoque PETRVS DE VALLE in *Itinerario Perſico* P. 3. *Epist. 17. p. 200.* ſequentia refert: *Es iſt unter den Perſianern der Secte der Sciaiten er- laubt, auf eine beſtimmte Zeit ein Weib zu nehmen, und wird**

wird die Zeit unter ihnen durch einen schriftlichen Vergleich abgeredet, so daß die Kinder innerhalb denselben geböhren vor rechtmäßig gehalten werden. Wenn die Zeit verflissen, so scheiden sie von einander, oder verlängern die Ehe auf eine längere Zeit, woben wol öfters eine beständige Ehe gemacht wird &c. Add. OLEARR. in *Itinerar. Persic. p. 319. b.*

§. XLVI.

Non solum vero Mahumedani aut alii Ethnici ^{Etiā Christi-} ^{stianis apud} talia matrimonia in usu habent, sed & Christiani in- ^{illos degen-} ^{tibus.} ter illos degentes, consentiente loci illius iudice. De Iaponia BERNHARDVS VARENIVS *Descript. Iap-*

pon. c. 13. recenset: Inualuit ab aliquot annis consuetudo, ut simul ac nauis quaedam belgica in Iaponiam delata est, mox illi praefo sint Lenones & diuersorum hospites, qui praecipuos ex aduētis interrogent, annon pro tempore commorationis in istis Locis cupiant sibi assumere pellicem aliquam aut uxorem? Annuente peregrino, adducunt iuenculam & contractum matrimonialem faciunt. Paciscitur sibi mulier in victum singulis diebus tres, quatuor aut sex stuferos, quantum potest: praeter haec pro vestitu vnā vel duas stolas sericas (pretium vnus est XXV. vel XXX. florenorum) totidemque gussipinas cum aliquot calceolis ex cervino corio. Parentibus vel lenoni, si mancipium sit, promittunt X. XV. vel triginta florenos. Facta conuentione dat Belga conuiuium, & pro tempore uxoratus est. Cum eius discessu matrimonium soluitur. De modo, quem seruant Christiani apud Saracenos in contrahendo hoc matrimonio Cacciolupus c. l. talia profert: Christiani existentes in aliis partibus inter Saracenos, cum non possint, nisi cum periculo vitae coire cum mulieribus Saraccis, contrahunt

G

matri-

matrimonium cum Christianis mulieribus ibi existentibus, coram Consule Venetorum ibi existente, & vir dat mulieri certam dotem parvam, communiter quinquaginta Librarum, & donec viro placet, potest illam licite retinere in illis partibus, & ad libitum repudiare, dummodo mulieri dicta dos remaneat. Ita quoque ex relatione Caesarei primarii interpretis Dni Meninskii, sibi per Hiobum Ludolfum, Consiliarium Caesareum & intimum Electoralis ac Ducalis Saxonicum communicata de hoc matrimonio sequentibus exhibet BRVCKNERVS c. l. Tale, inquit, matrimonium vere est Turcicum, & tam a Turcis, quam exteris coram iudice Turcico, non vero consule Veneto, valide contrahitur, ita ut maritus promittere teneatur uxori, quam ducit summam pro libitu loco dotalitii, post separationem aut dissolutionem istius contractus, una cum restitutione omnium bonorum, quae mulier in domum mariti intulit, solvere. Tale contubernium cum quatuor uxoribus valide & legitime apud Turcas contrahi potest. Liberi etiam, qui inde nascuntur, in Turcia pro legitimis habentur, & cura tam alimentationis quam educationis marito incumbit, & ad eam ex lege tenetur. Addit BRVCKNERVS paulo post: Ex quibus apparet, Christianos inter Turcas degentes, interdum etiam Turcice vivere.

§. XLVII.

An iure N.
sit licitum?
Rationes
affirman-
tium.

Iustitiam huius matrimonii examinaturi considerandum habent, an de essentia societatis nuptialis sit, ut ad dies vitae contrahatur, nec possit post aliquot tempus invita etiam altera pacifcentium parte dissolui? quod iure naturae negandum videtur, quia obtento fine, intuitu cuius ista societas contracta, & sobolis procreatio est, nulla lex naturalis amplius obligat,

obligat, vt illa ulterius continuetur, & in infinitum soboles procreetur, aut cum vno indiuiduo generatio repetatur ac multiplicetur. Quare si ab initio societatis huius a viro & vxore tempus determinatum, ad quod vsque inita eorum societas durare debeat, nulla ratio obstat, cur tunc paciscentium alter ab altero inuito etiam discedere nequeat. vid. SELDEN. *de Iure Nat. & Gent. iuxta Disciplin. Ebraeor. lib. 5. c. 7.* Adeoque cum in aliquibus populis matrimonium ad *Tbalac* pro vsu & consuetudine sit, licet ab aliis e contrario improbetur, non tamen simpliciter id iniustum videri posse, quoniam necesse est, id matrimonium ab aliis quoque pro vero aestimari, quod suo ritu & legibus in suo populo celebratum, cum mores id sustineant, quibus ab aliis maxime deferendum. GABRIEL. PALAEO. *de Not. & spur. cap. 17. n. 8.*

§. XLVIII.

Contrarium tamen, & quod essenziale societa- Sed contra-
tis nuptialis iure naturae sit, vt cum voto perpetuae rium verius.
adhaesionis contrahatur, & diuortium inter viuos
feri nequeat, nisi alteruter coniugium nuptias in-
quinauerit, grauitur vrget, quod ab ipsa natura ea
forma indiuiduitatis coniugio data sit, quam pri-
uati tollere non possunt *L. 1. ff. de R. N. L. 1. ff. Rer.*
annot. L. 27. ff. de Pact. Deinde quod ab his sociis non
sola generatio liberorum intendatur, sed & educa-
tio eorum; & vicissim ab his erga parentes requira-
tur obligatio ad perpetuam reuerentiam. Quod illi
quoque non amoris tantum, qui amorem paren-
tum antecellit, sed & fidei exuberantioris non mi-
nus,

nus, ac in deposito vel societate, communicatio-
nem a sese inuicem deposcant, quae omnia, vt ef-
fectus singulares, necesse est proueniant etiam sa
causa, quae firmiore fundamento nixa est, quam
quod post breue tempus expiret. Haec vt ex dicta-
mine rectae rationis cognoscuntur, ita etiam in ver-
bo reuelato nobis indicantur, quando Deus, Au-
tor matrimonii, id constitutum esse dicit in arctis-
sima coniugum conglutinatione ad vnitatem carnis,
cum derelictione parentum *Genes. II, 24.* FELIX BI-
DEMBACH in *Promptuar. Connub. Them. 6. n. 3.* quae
tanta sane esse nequit in matrimonio ad tempus tan-
tum contracto, & quod ad vnius dissensum dissolue-
re licet. Igitur cum perpetuitas coniugii a iure di-
uino sit, atque ita in nullius hominis arbitrio, pa-
lam sit, nequaquam sub conditione ad Thalac, et-
iam ab illis, qui tantum rationis ductum sequuntur,
matrimonium contrahi posse, sed id ipsum ob eam
velut alius contractus inter viuos, vitari *L. Non dubium*
§. C. de Legib. aut si id de facto contractum fuerit, eam
in poenam contrahentium pro non adiecta haberi,
& matrimonium pro tali explicari, quod ad Dei le-
gem in indiuiduam vitae consuetudinem contra-
ctum esse debet. Consentit HERTIVS *Vol. 2. Opuscl.*
Tom. vlt. Dissert. de Iurib. ex pacto certo temp. inclus. Sect. 1.
§. 2. quamuis ex rationibus parum concludentibus,
& BRVCKNER *d. c. 13. n. f. MAVSERVS de Nupt. p. 320.*

§. XLIX.

Feltmannus Rectissime itaque concludit, hoc matrimo-
id damnat nium ad Thalac quoque impugnans FELTMANNVS
de impari matrim. p. 208. seqq. nihil aliud illud esse,
quam

quam apertum concubinatum, & illud contrahentes non esse coniuges, nisi ad thorum, non autem arctissima animorum coniunctione sibi mutuo deuinctos, non alio quoque loco haberi posse mulierem, quam concubinae, & inde nec posse in tabulis connubii sibi promissa exigere, liberosque ex ea susceptos non pluris quam naturales aut spurios censerī. Inquit porro: se non satis scire, annon ultimo dignus supplicio foret stello, qui ad fallendas facile credentes puellas, promississet, se eas ducturum, sed ad Thalat & adiecta conditione, quam non intelligerent, ipsis pudicitiam eripuisset - Multo minus audiendum fore, qui diceret, se non coniunxisse sibi plebeiam connubio, nisi ista conditione adiecta, quia negotia, quae arbitro testeque Deo geruntur, quibus nuptiae merito annumerantur, nunquam secundum facitam mentem, qua vnus contrahentium forte ad ea accessit, explicamus, sed inspicimus, quid is senserit, cui fides promissione fuit data. Quamobrem milites, siue Centurio signiferue, siue gregarius fuerit, merito suo perpetua apud posteros notandos infamia, si cum coelum mutare cogantur, deserant mulieres a se supratas eo colore, quasi tantum has duxissent, donec praesidii causa agerent in locis, ubi miserae illae degent. Quod nouimus nonnullis, quas amor insatnauerat Gallorum Traiecti ad Rbenum accidisse primo bello Gallico: quanquam dolo minime malo errori atque impudentiae suae remedium pars quaerent, & quos deperibant, aliquot dies sectarentur, postea quasi repente viduae essent factae, pollutae redirent in urbem: nemine erga eas miseratione ducto, sed ridentibus cunctis, quod vultu eorum delectatae ductaeque fuissent, quos lubentes libentesque caeteri ciues a tergo viderunt. Add. SCHWEDER. de Maxim. ad Morganat. th. ult.

§. L.

§. L. duo.
 Differentia inter matrimonium conscientiae & ad Thalac.
 Reducto ad hos terminos matrimonio conscientiae, prout quoque ad illos ab Autoribus, qui iustitiam eius propugnant, illud reduci cognouimus, nempe quod quidem clam contrahatur, sed tamen cum intentione seruandi indiuiduam vitae consuetudinem, apparet inter hoc & matrimonium ad Thalac latum discrimen intercedere, nec vtrumque ex aequo iure aestimari posse. Illud, vt dictum, clam initur, sed cum intentione, vt duret ad mortem vsque; hoc clam vel palam, sub adiecta tamen conditione, vt marito liceat id ex beneplacito suo dissolueret. Illud non aliam quam vnicam admittit vxorem, quamdiu illa vixerit; hoc repudiata prima non excludit secundam. Illud permittente iure diuino, & ex dispensatione Superioris, humano quoque salua conscientia a coniugibus contrahi potest; hoc nunquam ita iniri posse deprehenditur.

Tantum.




194
93
287
194.10

6078



S
E
M



Farbkarte #13

Centimetres

B.I.G.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

22

MILLENBERGII,
D.
RIARVM ATHENAEI
ON INSPECTORIS

TATIO
MONIO
NTIAE,
IS
AGE
CIENCE.



1 E,
PH. CROEKERVN,
t.

